



Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

16 Vtrum Cruce signatus moriens ante susceptum iter, habeat plenariam
indulge[n]tiam peccatoru[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

manus deseruit toti corpori, & similiter quodlibet corporis membrum, & secundum hoc quodcumque bonum factum ab aliquo, valet cuiuslibet in charitate existenti, secundum illud psalmi. 13. Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua. Alio modo, secundum quod per intentionem alicuius actus eius transfertur in alterum, puta, si quis pro altero soluat aliquod debitum, pro eodem habetur ac si ille solueret pro quo soluitur. Primo ergo modo valet opus bonum per modum meriti, cuius radix est charitas: sed secundo modo, opus unius valet alteri per modum satisfactionis, prout unus pro altero satisfacere potest, si hoc intendat, & talis valor attenditur in suffragiis, quae ad hoc fiunt, ut per ea homines liberentur a debito pena. Et ideo dicitur, quod suffragia per ipsum modum non valent, nisi illis pro quibus fiunt, & secundum hoc si pro aliquo fiunt multa suffragia, citius liberatur a pena purgatorii, quam alii pro quibus non fiunt, etiam si aequalia peccata detulerint. Concedendum tamen est, quod suffragia pro uno facta omnibus valent, in quantum. Homines qui sciunt, gaudent ex charitate de bonis quae ex charitate fiunt, & secundum hoc verum est, quod illis pro quibus non fiunt, plus valet suffragia, si sunt maioris charitatis.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod peccato veniali cum non habeat aeternam a Deo per se loquendo, non debetur pena carnis: sed quod ad tempus retardantur a visione divina, hoc contingit per accidens, quia scilicet quando digni sunt aliqua poena, non possunt participare summam felicitatem, quae in visione consistit. Iustitia autem respicit poenam per se debitam peccato, non autem eam quae per accidens consequitur.

Per hoc patet responsio ad secundum. Tertium concedimus, & quartum similiter. Illi tamen qui in fine mundi vivunt reperientur, parum habebunt de cremabilibus precedentibus tribulationibus purgati. Poterit etiam fieri, ut acerbitas poenae modici temporis, recompenset diuturnitatem poenae in aliis.

QUESTIO VIII.

DEINDE quaesitum fuit de remissione peccatorum.

¶ Et circa hoc quaesita sunt duo.

¶ Primo, Vtrum peccatum in spiritum sanctum sit irremissibile.

¶ Secundo, Vtrum cruce signatus, qui moritur antequam iter arripiat transmarinum, plenam habeat peccatorum remissionem.

ARTICVLVS XV.

Vtrum peccatum in spiritum sanctum sit irremissibile.

AD PRIMUM sic proceditur. Videtur, quod peccatum in spiritum sanctum non sit irremissibile. Una est enim dignitas & maiestas patris & filii & spiritus sancti: sed peccatum in filium non est irremissibile, dicitur enim Matt. 12. Quicumque verbum contra filium hominis dixerit, remittetur ei: ergo peccatum in spiritum sanctum non est irremissibile.

SED CONTRA est, quod ibidem dicitur. Qui dixerit contra spiritum sanctum verbum, non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro.

RESPON. Dicendum, quod de peccato in spiritum sanctum tripliciter aliqui sunt locuti. Doctores enim

A ante Aug. intellexerunt peccatum in spiritum sanctum esse blasphemiam dictam contra spiritum sanctum, aut opera eius, vel etiam contra diuinitatem Dei patris, aut filii, quia etiam pater & filius communitate sumendo, spiritus sanctus est, quia Deus spiritus est, ut dicitur Jo. 4. Peccatum autem in filium hominis intelligunt blasphemiam in Christum secundum humanam naturam, & utroque modo peccabant Iudaei in Christum. Primo enim modo contra eum peccabant: miracula quae per spiritum sanctum, & virtute sue diuinitatis faciebat, principi demoniorum attribuendo. Secundo autem modo, contra eum peccabant dicendo. Ecce homo uorax, potator vini, & publicanorum amicus, ut dicitur Matth. 11. Hanc ergo secundam blasphemiam dicit remissibilem, quia habebat aliquam excusationem propter infirmitatem carnis, quam in Christo uidebant.

B Aliam uero blasphemiam dicit irremissibilem, quia nullam excusationem habebant uidentes, manifesta indicia spiritus sancti & diuinitatis. Propter hoc secundum Chrysostomum persequentibus non fuit remissa haec blasphemia neque in hoc saeculo, neque in futuro: quia in hoc saeculo puniti sunt pro ea per Romanos, & in futuro cruciabitur in inferno. Secundum Aug. uero spiritum sanctum, qui est charitas patris & filii, attribuitur remissio peccatorum. Ille ergo contra spiritum sanctum peccat, uel blasphematur, uel uerbum dicit corde, ore, aut opere, qui hoc agit per impenitentiam usque ad finem uitae suae: ut non fiat ei remissio peccatorum, & tunc planum est, quod hoc peccatum in spiritum sanctum non remittitur neque in hoc saeculo, neque in futuro. Doctores uero moderni dixerunt, quod quia patri attribuitur potentia, filio sapientia, spiritui sancto bonitas, peccatum ex infirmitate est peccatum in patrem, peccatum ex ignorantia est peccatum in filium, peccatum ex certa malitia est peccatum in spiritum sanctum. Quia ergo ignorantia, uel infirmitas excusat peccatum uel in toto, uel in parte, dicunt quod peccatum in patrem, uel in filium remittitur, quia uel totaliter culpa caret, uel culpa diminitur. Malitia uero non excusat peccatum, sed aggravat, & ideo peccatum in spiritum sanctum non remittitur neque in toto, neque in parte, quia non habet in se aliquam rationem ueniae, per quam diminuat culpa, & si aliqua remittatur, hoc magis est ex misericordia Dei remittentis, qui etiam morbos incurabiles curat, quae ex remissibilitate peccati.

C Et per hoc patet solutio ad obiecta.

ARTICVLVS XVI.

Vtrum cruce signatus mouens ante susceptum iter, habeat plenariam indulgentiam peccatorum.

AD SECUNDUM sic proceditur. Vtrum cruce signatus qui moritur antequam iter arripiat, habeat plenam indulgentiam peccatorum. Ad hoc enim quod indulgentia alicui valeat, requiritur quod sit uere poenitens & confessus ut continetur in littera papali: sed cruce signatus decedens ante iter assumptum, habet haec omnia quae requiruntur secundum formam litterae ad percipiendam plenam indulgentiam peccatorum, ergo plene percipit eam.

¶ Praeterea. Solus Deus remittit peccatum quantum ad culpam cum ergo Papa dat indulgentiam omnium peccatorum, hoc non est referendum ad culpam, sed ad inuicem panarum. Ille ergo qui accipit crucem secundum formam litterae papalis, nullam poenam patietur pro suis peccatis, & sic statim euolabit, plenam remissionem peccatorum consecutus.

SED CONTRA. Aug. dicit in 15. de Trinitate. quod non est idem abstrahere telum, & sanare uulnus. Telum enim peccati abstrahitur per remissionem peccati, uulnus Quodlibet. S. Tho. B 4 autem